

hic enim pro eis orandum est, ut Apostolus dicit II. Tim. 11. 25. *Ut dei illis Deus poenitentiam, & respiciant a laqueis diaboli.*

Ad tertium dicendum, quod prophetia comminatoria poenae tunc solummodo immutatur, quando merita ejus variantur in quem comminatio facta est: unde Hierem. xviii. 7. *Repente loquar ad gentem, & adversum regnum, ut eradicem, & destruum, & disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, agam & ego poenitentiam super malo quod (1) cogitaveram ei.* Unde cum damnatorum merita mutari non possint, comminatio poenae semper in eis implebitur. Nihilominus tamen prophetia comminationis semper quantum ad aliquem intellectum impletur: quia, ut dicit Augustinus Lib. praedicto eodem cap. *eversa est Ninive, quae mala erat, & bona aedificata est, quae non erat: stantibus enim manibus, atque domibus, eversa est civitas in perditis moribus.*

Ad quartum dicendum, quod verbum illud Psalmi pertinet ad vasa misericordiae, quae se indignos misericordia non fecerunt; quia in hac vita, quae quaedam ira Dei est propter vitae miserias, vasa misericordiae mutata in melius: unde sequitur in Psalm. lxxvi. 11. *Hec mutatio dexteræ excelsi.* Vel dicendum, quod hoc intelligitur (2) de misericordia aliquid relaxante, non de misericordia totaliter liberante, si extendatur etiam ad damnatos: unde non dicit: *Continebit ab ira misericordias suas, sed in ira:* quia non totaliter poena tollitur, sed ipsa poena durante, misericordia operabitur eam diminuendo.

Ad quintum dicendum, quod Glossa illa non loquitur simpliciter, sed sub hypothese impossibili ad exaggerandum peccati magnitudinem ipsius diaboli, vel Nabuchodonosor.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quaestionem dicendum, quod quidam fuerunt, ut dicit Augustinus in Lib. praedicto, cap. xix. qui non omnibus hominibus promiserunt absolutionem à poena aeterna, sed solis Christianis: (3) & in hoc rursus diversificati sunt.

Quidam enim dixerunt, quod quicumque sacramenta fidei perceperunt ab aeterna poena erunt immunes. Sed hoc est contrarium veritati: quia quidam sacramenta fidei recipiunt, & fidem non habent, sine qua impossibile est placere Deo: Hebr. xi.

Et ideo alii dixerunt, quod solum illi ab aeterna poena erunt immunes qui sacramenta fidei sunt consecuti, & fidem catholicam tenuerunt. Sed contra hoc esse videtur quod aliquando aliqui catholicam fidem tenent, & postea ab ea resiliunt, qui non minori poena sunt digni, sed majori: quia II. Petr. 11. 21. *Melius erat viam veritatis non agnoscere quam post agnitam retroire.* Planum est etiam plus peccare haereticas, qui de fide catholica recedentes novas haereses fingunt, quam illos qui à principio aliquam haerese sunt secuti.

Et ideo alii dixerunt, quod illi soli sunt à poena aeterna immunes qui in fide catholica finaliter perseverant, quantumcumque aliis criminibus involvantur. Sed hoc manifeste contrariatur Scripturae: quia Jac. 11. 20. dicitur: *Fides sine operibus mortua est:* & Matth. vii. 21. dicitur: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum caelorum: & in multis aliis locis Scriptura peccantibus aeternas poenas comminatur.* Unde non omnes finaliter in fide persistentes à

poena aeterna erunt immunes, nisi & ab aliis criminibus inveniuntur finaliter absoluti.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus ibi loquitur de fide formata, quae per dilectionem operatur; in qua quicumque decesserit, salvus erit. Sed huic non solum opponitur infidelitatis error, sed quodlibet peccatum mortale.

Ad secundum dicendum, quod verbum Domini est intelligendum non de illis qui tantum sacramentaliter edunt, qui indigne quandoque sumentes, iudicium sibi manducant, & bibunt, ut dicitur I. Corinth. xi. sed de manducantibus spiritualiter, qui ei per charitatem incorporantur; quam incorporationem facit sacramentalis comestio, si quis digne accedat. Unde quantum est ex virtute sacramenti, ad vitam aeternam perducit; quamvis aliquis se possit tali fructu privare per peccata, etiam postquam digne sumpserit.

Ad tertium dicendum, quod fundamentum in verbis Apostoli intelligitur fides formata: supra quam qui peccata venialia aedificaverit, detrimentum parietur, quia pro eis punietur à Deo; ipse tamen salvus erit finaliter, quasi per ignem vel temporalis tribulationis, vel purgatoriae poenae, quae erit post mortem.

## SOLUTIO IV.

Ad quartam quaestionem dicendum, quod, sicut dicit Augustinus in Lib. praedicto, cap. xxix. quidam posuerunt non omnes qui catholicam fidem tenent, à poena aeterna esse liberandos, sed solum illos qui misericordiae operibus insistunt, quamvis etiam aliis criminibus sint subjecti. Sed istud non potest stare: quia sine charitate non potest aliquid Deo esse acceptum, nec sine ea prodest aliquid ad vitam aeternam. Contingit autem aliquos operibus misericordiae insistere qui charitatem non habent: unde his nihil prodest ad vitam aeternam promerendam, vel ad immunitatem poenae aeternae, ut patet I. Corinth. xiii. Et praecipue hoc apparet absurdum in raptoribus, qui multa rapiunt, & tamen aliqua misericorditer largiuntur.

Et ideo dicendum, quod quicumque cum peccato mortali decedunt, nec fides, nec opera misericordiae eos liberabunt à poena aeterna, etiam post quantumcumque spatium temporis.

Ad primum ergo dicendum, quod illi misericordiam consequentur qui misericordiam ordinate impendunt; non autem ordinate misericordiam impendunt qui seipsos in miserando negligunt, sed magis se impugnant male agendo: & ideo tales misericordiam penitus absolventem non consequentur, etsi consequantur misericordiam de poenis debitis aliquid relaxantem.

Ad secundum dicendum, quod non propter hoc ponitur disceptatio solum de operibus misericordiae, quia pro earum neglectu tantummodo aliqui aeternaliter puniantur; sed quia illi ab aeterna poena liberabuntur post peccata qui per opera misericordiae sibi veniam impetraverunt, facientes sibi amicos de mamma iniquitatis.

Ad tertium dicendum, quod illud à Domino dicitur his qui petunt sibi debitum relaxari, non illis qui in peccato persistent: & ideo soli poenitentes per opera misericordiae consequentur misericordiam penitus liberantem.

Ad quartum dicendum, quod Glossa Ambrosii lo-

(1) Vulgata, *cogitavi ut facerem.* (2) *Al. hic, & infra de miseria.* (3) *Al. & in hoc respectu.*

quitur de lubrico venialis peccati, à quo aliquis post purgatorias poenas, quas vapulationem dicit, per opera misericordiae absolvitur. Vel si loquatur de lubrico mortalis peccati, est intelligendum quantum ad hoc quod adhuc in vita ista existentes, illi qui ex fragilitate in carnalia peccata incidunt, per opera misericordiae ad poenitentiam disponuntur: unde talis non peribit, id est disponetur per talia opera ad non pereundum.

## EXPOSITIO TEXTUS.

**T**am grandis tamen poena est, ut ei possint nulla tormenta quae novimus comparari. Augustinus dicit de peccat. meritis, & remiss. cap. xvi. & Lib. V. contra Julianum Pelag. cap. viii. quod mitissima est poena parvulorum, qui tamen alienantur à regno. Et dicendum, quod hoc quod hic dicitur, intelligen-

dum est de illis qui carent divina visione, & habent conscientiae remorsum, quod ex propria culpa ea priventur.

*Incomprehensibilia sunt iudicia ejus.* Sed contra in Psalm. cxviii. 13. *In labiis meis pronuntiavi omnia iudicia oris tui.* Et dicendum, quod iudicia in Psalmo appellantur Dei mandata; Apostolus autem dicit Dei iudicia, dispositiones ejus.

*Sed varietas sensuum, & effectuum in creaturis monstratur,* in quantum videlicet ex diversis conceptionibus, quas à creaturis accipimus, diversas rationes attribuimus Deo, ut diversitas non sit in Deo secundum esse, sed sit diversitas secundum rationem tantum, quod hic dicitur varietas sensuum; vel secundum connotata, & hoc dicitur varietas effectuum. Et de hoc in 11. distinct. I. Lib. quaest. 1. art. 2. ad 5. dictum est.

## DISTINCTIO XLVII.

## De sententia iudicii.

**S**olet etiam quaeri, qualiter dabitur iudicii sententia; sed non est perspicuum id explicare. Non enim Scriptura aperte diffinit, an voce illa (1) verba proferantur Matth. xxv. *Venite benedicti,* & *Ite maledicti;* an virtute iudicis ita fiat, conscientis singulorum attestantibus, ut modo dicitur futurum, ut iudicis potentiae effectus, ipsius dictione significetur. Illa etiam ubi supra: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare,* & hujusmodi, magis conscientis exprimenda plurimi putant quam verbis: quia Apostolus I. Corinth. v. in momento, & ictu oculi mysterium consummandum tradit. Sed illud ad resurrectionis statum tantum referunt, non ad iudicium, qui aliis iudicii sententiam, & malorum increpationes, & bonorum praemia verbis exprimenda asserunt.

## Quod iudicabunt Sancti, &amp; quomodo.

**N**ON autem solus Christus iudicabit, sed & Sancti cum eo iudicabunt nationes. Sapient. viii. Ipse enim Apostolus ait Matth. xix. 28. *Sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Nec est putandum quod duodecim Apostolis tantum hoc promiserit Christus. Ubi enim sedebit Paulus, qui plus omnibus laboravit, si non ibi sedebunt nisi duodecim? Ergo sedes perfectio (2) tribunali; id est universitas iudicantium, intelligitur, scilicet omnes perfecti, qui relictis omnibus secuti sunt Christum; per duodecim tribus universitatis iudicandorum. Iudicabunt vero eos Sancti non modo (3) comparatione, sed etiam auctoritate & potestate: unde Psalm. cxlix. 6. *Gladii accipites in manibus eorum;* id est, sententia de bonis, & de malis in potestate eorum. Si vero quaeritur, quae erit eorum potestas, vel auctoritas in iudicando; puto non ante posse sciri quam videatur, nisi divina revelatione quis didicerit.

## De ordinibus eorum qui iudicandi erunt.

**E**Runt autem quatuor ordines in iudicio. *„Duae quippe sunt partes, electorum scilicet, & reproborum, ut Gregorius in Moral. Lib. XXVI. cap. xxix. ait; sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii enim iudicantur, & perent; alii non iudicantur, & pereunt; alii iudicantur, & regnant; alii non iudicantur & regnant. Iudicantur, & pereunt, quibus dominica inclamatione (4) dicitur Math. 11. 42. Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c. Non iudicantur, & pereunt, quibus Dominus ait Joan. 111. 18. Qui non credit, jam iudicatus est. Eorum enim damnatio toti Ecclesiae nota est, & certa: & ideo dicuntur tunc non iudicari, quia ad conspectum districti iudicis cum aperta damnatione suae infidelitatis accedent. Qui vero professionem fidei sine operibus habent, iudicabuntur, & peribunt; id est, redarguentur ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in se fieri non audient: quia infidelitatis suae tenebris praedicti, ejus quem despexerunt invectione redargui non merentur. Illi autem saltem verba iudicis audient qui ejus fidem saltem verbo tenuerunt. Illi autem in damnatione suae aeterni iudicis nec verba percipient qui ejus reverentiam nec verbo tenus servare voluerunt: & ideo illi iudicandi, sed isti non iudicandi dicuntur. Ex electorum vero parte alii iudicantur, & regnant; scilicet qui vitae maculas lacrymis terunt, & eleemosynarum superinductione operiunt; quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicit: Esurivi, & dedistis mihi manducare. Matth. xxv. 35. Alii autem non iudicantur, & regnant, qui etiam praeccepta legis perfectiori virtute transcendunt: quia non hoc solum quod lex praecipit, implere contenti sunt; sed & quod ad perfectionem consultiur, implere student; de quibus Propheta ait Isai. 111. 14. Dominus ad iudicium veniet (5) cum senatoribus populi sui: & Salomon de Ecclesiae sponso loquens, ait Prov. xxxi. 23. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terrae: & Job ait cap. xxxvi. 6.*

(1) *Al. deest verba.* (2) *Nicolai universalis.* (3) *Al. cooperatione.* (4) *Nicolai, sive dominica voce in damnatione.* (5) *Vulgata cum senibus.*

Non salvat impios, & pauperibus iudicium tribuit.... (6) Hi ergo recte sub generali iudicio non tenentur, sed iudices veniunt: quia & precepta generalia vivendo vicerunt, & omnibus relictis Christo secuti sunt. (7) Recte pauperibus iudicium tribuit, qui quanto tunc majori (9) culmine potestatis exerescent: de talibus dicitur Apoc. 111. 21. Qui vicerit, dabo ei sedem meam in throno meo, sicut & ego vici; & sedi cum Patre meo in throno eius. Vincens Dominus cum Patre in throno sedet: quia post passionis certamen, & resurrectionis palmam, quod Patri esset aequalis, omnibus declaravit. Nobis vero in throno Filii sedere est ex ejusdem Filii potestate iudicare. Quia enim iudicandi principatum ex ejus virtute percipimus, quasi in throno eius residemus. Ex his apparet quod etiam perfectiores Sancti cum Christo iudicabunt potestate; & quare quidam dicuntur iudicandi, alii non iudicandi.

De ordine iudicii, & ministerio Angelorum.

CUM autem in Evangelio Matth. x111. 41. legatur, quod Dominus mittet Angelos suos, qui colligent de regno ejus omnia scandala, & mittent iniquos in caminum ignis: & iterum Matth. xxiv. 31. Mittet Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos a quatuor ventis: & Propheta dicit Psalm. xlix. 5. Congregate illi Sanctos ejus: ministerio Angelorum illa impleri dubitandum non est. Domino enim veniente ad iudicium precedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi hujus, & peribit celum, & terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quae immutabitur; caelum quidem aereum, non aethereum. Tantum enim ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquae in diluvio. Ille autem ignis malis, qui reperi fuerint vivi, erit consumptio, bonis vero non, ut ait Augustinus de Civ. Dei Lib. XX. cap. xvi11. Hoc erit incendium mundi Sanctis quod fuit caminus tribus partibus; in quibus si aliquid purgandum fuerit, per illum ignem purgabitur; aliis vero nullam ingeret molestiam. Purgato vero per ignem mundo, & ad iudicium veniente Domino, emittetur vox illa magna, qua resurgent omnes mortui, & tunc ministerio Angelorum ventilabitur aera: quia boni congregabuntur ibi de quatuor partibus mundi angelico ministerio, quo & rapientur obviam Christo in aerea, reprobis in terra, quam dilexerunt; remanentibus. Et tunc praecordia illa bonorum: „Esurivi, & dedistis mihi manducare;“ & increpationes illae malorum: „Esurivi, & non dedistis mihi manducare, &c.“ Matth. xxv. proferentur vel sono vocali, vel alio modo. Denique proferetur sententia super utrosque. Venite benedicti, & „Ite maledicti,“ & ministerio Angelorum virtute Dei cooperante mittentur mali in caminum ignis, hoc est in infernum.

Si post iudicium demones praerunt hominibus ad puniendum.

ET solet quaeri, utrum in inferno malis ad puniendum praesint demones post iudicium, quos carnifices, omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Dum enim durat mundus Angeli Angelis, demones demonibus, homines hominibus praesunt; sed omnibus collectis jam omnis praetatio cessabit. Hinc quidam putant, post iudicium demones non habere potestatem cruciandi homines, sicut modo. Sed ut demones virtute Dei cruciari sine ministerio creaturae asserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem demonum, sed virtute divina tantum aeternis subijci cruciatibus. Praemissa tamen auctoritas non id cogit sentire: quae etsi asserat tunc nec demones demonibus, nec homines hominibus praesesse; non diffinit tamen, an demones praesint hominibus ad torquendum. Unde quibusdam videtur eos sic (10) exstare hominibus tortores in poena, sicut extiterunt incedentes in culpa.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de remuneratio- ne animarum, & punitione, quae praecedit iudicium generale, hic incipit determinare de remuneratione, & punitione quae erit per iudicium generale: & dividitur in partes duas. In prima determinat de ipso generali iudicio. In secunda determinat de remuneratione, & poena quae generale iudicium consequitur, xlix. dist. ibi: Post resurrectionem vero facto impletoque iudicio, suos fines habebunt civitates duae. Prima pars dividitur in duas. In prima determinat ea quae pertinent ad modum iudicii, & ad iudicis ministerium. In secunda determinat ea quae pertinent ad iudicis personam, xlvi11. dist. ibi: Solet etiam quaeri, in qua forma Christus iudicabit. Prima in duas. In prima enim requirit de iudicii modo; in secunda de iudicis ministris, ibi: Non autem solus Christus iudicabit. Et haec pars dividitur in tres. In prima enim ostendit quomodo homines cum Christo iudicante pariter iudicabunt. In secunda ostendit quid ministerii Angeli in iudicio exhibebunt, ibi: Cum autem in Evangelio legatur quod Dominus mittet Angelos suos &c. In tertia parte requirit, utrum demones ministri hujus iudicii sint futuri, torquendo damnatorum animas, ibi: Et solet quaeri, utrum in inferno malis ad puniendum praesint demones. Prima pars dividitur in duas. In prima ostendit quod quidam homines cum Christo iudicabunt. In secunda enumerat quatuor ordines hominum qui ad iudicium veniunt, ibi: Erunt autem quatuor ordines in iudicio.

QUAESTIO I.

HIC est duplex quaestio. Prima de iudicio generali. Secunda de igne qui praecedit faciem iudicis. Circa primum quaeruntur tria. Primo. De ipso iudicio.

(6) Nicolai: „Hi ergo in extremo iudicio non iudicantur, & regnant, qui cum auctore suo iudices veniunt: relinquentes quippe omnia, plus prompta devotione executi sunt quam, juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur: Vade, vende quae habes &c.“ Et rursum mox. Hi ergo recte &c. (7) Nicolai: Et in fine capituli, (8) Al. deest huius. (9) Al. elementiae. (10) Al. constare.

Secundo. De iudicantibus cum Christo. Tertio. De his qui in iudicio iudicabuntur.

ARTICULUS I.

Utrum generale iudicium sit futurum.

III. P. quest. LIX. art. 5. & IV. cont. Gent.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod generale iudicium non sit futurum. Quia, ut dicitur Naum. 1. 9. (2) Non iudicabit Deus vis in idipsum. Sed nunc Deus iudicat de singulis hominum operibus, cum post mortem unicuique poenas, vel praemia pro meritis tribuit, & dum etiam in hac vita quosdam pro bonis, vel malis operibus praemiat, vel punit. Ergo videtur quod non sit aliud iudicium futurum.

Præterea, In nullo iudicio executio sententiae praecedit iudicium. Sed sententia civini iudicii quoad homines, est de iuditione regni, vel exclusione a regno, ut patet Matth. xxv. Ergo cum modo aliqui adispicantur regnum aeternum, & quidam excludantur ab ipso perpetuo, videtur quod aliud iudicium non sit futurum.

Præterea, Propter hoc aliqua in iudicium oportet adduci, quia dubium est quid de eis diffiniendum sit. Sed ante finem mundi determinata est unicuique damnatorum sua damnatio, & cuique Sanctorum sua beatitudo. Ergo videtur quod non oporteat aliquod futurum iudicium esse.

Sed contra, Matth. x11. 41. dicitur: Viri Ninivae surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Ergo post resurrectionem aliquod iudicium erit.

Præterea, Joan. v. 29. dicitur: Proce dent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Ergo videtur quod post resurrectionem aliquod iudicium sit futurum.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. Videtur quod iudicium illud quantum ad disceptationem, & sententiam fiat per locutionem vocalem. Quia, ut dicit Augustinus XX. de civ. Dei (cap. 11.) per quot dies hoc futurum iudicium tendatur, (3) incertum est. Sed non esset incertum, si illa quae in iudicio dicuntur futura, tantum mentaliter complerentur. Ergo iudicium illud vocaliter fiet, & non solum mentaliter.

Præterea, Gregorius dicit, & habetur in littera: Illi saltem verba iudicis audient (4) qui ejus fidem saltem verbo tenuerunt. Hoc autem non potest intelligi de verbo interiori; quod sic omnes verba iudicis audient; quia omnibus & bonis, & malis nota erunt omnia facta aliorum, sicut supra dist. xli11. dictum est. Ergo videtur quod iudicium illud vocaliter peragetur.

Præterea, Sicut in sequenti dist. dicitur, Christus secundum formam hominis iudicabit, in qua corporaliter ab omnibus possit videri. Ergo videtur eadem ratione quod corporali voce loquatur, ut ab omnibus audiat.

Sed contra, Augustinus dicit xx. de Civ. Dei, quod liber vitae, de quo Apocal. xx. vis quaedam in IV. Sent. Tom. V.

(2) Vulgata; non consurget duplex tribulatio. (3) Al. hoc incertum. (4) Al. qui ejus verbo fidem tenuerunt. (5) Vulgata, accusantibus, aut etiam defendentibus. (6) Vulgata non habet Nos sumus. (7) Al. ad meritum.

telligenda est divina, qua fiet ut unicuique opera sua vel bona, vel mala in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul & omnes, & singuli iudicentur. Sed si vocaliter discurrentur merita singulorum, non possent omnes, & singuli iudicari simul. Ergo videtur quod illa discussio non erit vocalis.

Præterea, Sententia proportionaliter debet testimonio respondere. Sed testimonium, & accusatio vel excusatio mentalis erit: unde Rom. 11. 15. Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum, (5) accusantium, aut etiam defendentium in die, cum iudicabit Deus occulta hominum. Ergo videtur quod illa sententia, & totum iudicium mentaliter expleatur.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. Videtur quod tempus futuri iudicii non sit ignotum. Sicut enim Sancti patres expectabant primum adventum, ita & nos expectamus secundum. Sed Sancti patres sciverunt tempus adventus primi, sicut patet per numerum hebdomadarum quae describuntur Dan. ix. unde & reprehenduntur Judaei, quod tempus adventus Christi non cognoverunt, ut patet Luc. x11. 56. Hypocritae, faciem caeli, & terrae nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Ergo videtur quod etiam nobis esse debeat determinatum tempus secundi adventus, quo Deus ad iudicium veniet.

Præterea, Per signa devenimus in cognitionem signatorum. Sed de iudicio futuro multa signa nobis in Scriptura ponantur, ut patet xxiv. Matth. & xxi. Lucae & x11. Marci. Ergo in cognitionem illius temporis possumus pervenire.

Præterea, Apostolus dixit I. Cor. x. 11. (6) Nos sumus in quos fides saeculorum devenerunt: & I. Joan. 11. 18. Filiioli, novissima hora est etc. Cum ergo jam longum tempus transierit ex quo haec dicta sunt, videtur quod saltem nunc scire possumus quod ultimum iudicium sit propinquum.

Præterea, Tempus iudicii non debet esse occultum, nisi propter hoc quod quilibet sollicitus se ad iudicium praeparet, dum determinate tempus ignorat. Sed eadem sollicitudo remaneret, etiam si certum esset: quia cuicumque incertum est tempus suae mortis, & sicut dicit Augustinus in epistola ad Hesychium lxxx. in quo quomque invenerit suis novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies. Ergo non est necessarium tempus iudicii esse occultum.

Sed contra est quod dicitur Marc. x11. 32. De die illa, vel hora nemo scit, nec Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater. Dicitur autem Filius nescire, in quantum nos scire non facit.

Præterea, I. Thessal. v. 2. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Ergo videtur, cum adventus furis in nocte sit omnino incertus, quod dies ultimi iudicii sit omnino incertus.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod sicut operatio pertinet ad rerum principium quo producuntur in esse, ita iudicium pertinet (7) ad ultimum rerum. Quomodo loquatur, ostendat ad

(2) Vulgata; non consurget duplex tribulatio. (3) Al. hoc incertum. (4) Al. qui ejus verbo fidem tenuerunt. (5) Vulgata, accusantibus, aut etiam defendentibus. (6) Vulgata non habet Nos sumus. (7) Al. ad meritum.